



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi Burguliensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

.. *TYRONENSI ARCHIEPISCOPO & .. de Oratorio & .. de Chaloccio Abbatibus ordinis Cisterciensis Andegavensis diocesis.*

Epist. 22. Ut de debitis per contractum legitimum debitis tempore Hilarij quondam Abbatis Burgulien. conquirentibus exhibere faciant justitiam completum.

Cum tibi, frater Archiepiscopo, ac venerabilibus fratribus nostris .. Pictaviensi & .. Andegavensi Episcopis dederimus in mandatis quatinus per vestras denuntiari dioceses faciatis ut si qui a tempore Hilarij quondam Abbatis Burgulien. debita duxerint ab eodem monasterio requirenda, vestro se conspectui representent, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus faciatis ab Abbate ac Conventu monasterij memorati cuilibet super debitis conquirenti, usuris cessantibus, justitiam plenitudinem exhiberi, eos qui super debitis monasterium ipsum aliter praesumpserint infestare, monitione praemissa, sublato appellationis obstaculo, excommunicationis sententiae supponentes. Quod si non omnes, tu, frater Archiepiscopo, &c. Datum ut in alia.

.. *TYRONENSI ARCHIEPISCOPO & .. Pictaviensi & .. Andegavensi Episcopis.*

Epist. 23. Ut contra incendiariorum quidam grangie Hilarij quondam Abbatis Burgulien. procedant.

Sicut ex parte dilectorum filiorum .. Abbatis & Conventus Burgulien. fuit propositum coram nobis, cum quidam filij Belial, complices & fautores Hilarij ejusdem monasterij quondam Abbatis, quandam ipsius grangiam igne apposito concremarint, & monasterium ipsum non desinat contra justitiam aggravare, ab eodem nihilominus falsa debita exigentes, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus singuli vestrum in diocesis suis in omnes illos qui praefatam grangiam combusserunt, vel ad eam comburendam impenderunt auxilium vel favorem, aut obtentu ipsius Hilarij dictum monasterium praesumpserint molestare, vel falsa debita exegerint ab eodem, excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo, solemniter promulgetis, & faciatis eandem usque ad satisfactionem congruam firmiter observari, per dioceses vestras denuntiari nihilominus facientes ut si qui ab eodem monasterio a tempore ipsius Hilarij debita duxerint requirenda, tuo se, frater Archiepiscopo, & dilectorum filiorum .. de Oratorio & .. de Chaloccio Abbatibus ordinis Cisterciensis Andegavensis diocesis conspectui

Tom. II.

representent, super eo justitiam plenitudinem recepturi. Datum Laterani XII. Kal. Aprilis, anno decimo.

.. *ABBATI ET CONVENTUI Burgulien.*

Significarunt nobis dilecti filij H. & G. monachi vestri quod cum nos Hilarium quondam Abbatem monasterij vestri ab administratione ipsius sententialiter duxerimus amovendum, quidam monachi complices ejus in vestro monasterio commorantes tibi, fili Abbas, obedientiam & reverentiam debitam denegant exhibere, ac molientes pacem & unitatem monasterij perturbare, tam per se quam per alios falsa debita exigere non verentur. Cum igitur pax & unitas religioni praebent incrementum, unitatem vestram monemus & exhortamur attentè, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus in unitate ac pace firmiter persistatis, monachos ipsos qui super iis vel aliis monasterium ipsum praesumpserint perturbare, auctoritate nostra regulariter castigantes. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, anno decimo.

Epist. 24. Ut nonnullos monachos dicti monasterij complices Hilarij quondam Abbatis dicti monasterij castigant & ad eorum obedientiam advovent, nec permittant monasterium perturbare.

.. *MAIORIS MONASTERII, .. sancti Iuliani, & .. sancti Florentij Abbatibus Turonensis & Andegavensis diocesis.*

Cum Hilarius quondam Abbas Burgulien. ab administratione ipsius monasterij a nobis sententialiter exigente justitia sit amotus, & ad poenitentiam peragendam in monasterio sancti Iovinde Marnis eundem praecerimus commorari, praesentium vobis auctoritate praecipiendo mandamus quatinus ipsum extra claustrum praedictum vagantem in cameris monasteriorum vestrorum vel mentis vestris recipere nullatenus praesumas, ne ipsum in sua videamini malitia confovere, repellentes eundem, ut sic ad claustrum assignatum sibi ad poenitentiam revertatur. Alioquin venerabilibus fratribus nostris .. Turonensi Archiepiscopo, & .. Episcopo Andegavensi & dilecto filio .. Abbati de Oratorio Cisterciensis ordinis Andegavensis diocesis per nostras damus litteras in mandatis ut vos ab hujusmodi praesumptione per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant. Datum Laterani XIV. Kal. Aprilis, anno decimo.

Epist. 25. Ut Hilarium quondam Abbatem Burgulien. ad claustrum sibi assignatum ad poenitentiam reverti compellant.

B ij